



1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
is  
ic  
82

1. Milbau. De varvi 1740
2. Millars De explorata Kerner metalliorie palver. aesthus. et al. 1752
3. Millar De medicam. anti epilepticis. 1787
4. Moellertheil Diphthisici pulmonali 1785
5. Moroder De dysenterie quam excepit Aphoniam opiorisi 1776.
6. Müller De venae occlusionis etiam iteratae usq. 1743.
7. Müller De dolore renum a calculo. 1734.
8. Müller De situ uteri obverso in gravidis et ahor. part. i. 1731
9. Müller. Synoupe odontenus. 1781
10. Müller. De febre quotidiana intermitente. 1754.
11. Mustinges De Cuxationibus. 1763
12. Mustinger De articulationibus artuum 1762



B. C. D.

DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM

MEDICAM

DE

C A R V I

P R A E S I D E D E O T R I V N O

E X D E C R E T O

G R A T I O S Æ F A C V L T A T I S M E D I C Æ

I N A L M A A R G E N T O R A T E N S I V M  
U N I V E R S I T A T E

P R O L I C E N T I A  
S V M M O S I N A R T E M E D I C A H O N O R E S  
E T P R I V I L E G I A D O C T O R A L I A

L E G I T I M E C O N S E Q V E N D I

A D D . 5 S E P T E M B . A N N O C H R I S T I M D C C X L .

H. L. Q. C.

S O L E N N I A C P L A C I D Æ P H I L I A T R O R V M  
C E N S V R Æ S V B J I C I E T


J O H A N N E S L V D O V I C V S  
M I L H A V ,  
A R G E N T I N E N S I S .

ARGENTORATI,

T y p i s M E L C H I O R I S P A V S C H I N G E R I T y p o g r .

DEO  
ET  
PROXIMO.





## PROOEMIVM.




Mpetrata, post exant-  
lata rite nuper exá-  
mina Doctoralia , a  
Gratiosa Facultate  
Medica , potestate  
atque Licentia Dis-  
sertationem Inauguralem de quacun-  
que libuerit Materia conscribendi at-  
que defendendi , in eligendo themate  
non admodum diu dubius hæsi. Tra-  
xit enim mox animum , tam jucundi-  
tate quam utilitate , ad sui contempla-  
tionem



tionem Materia Medica ; ita ut statim  
mecum constituerim ex amplissimo hu-  
jus penu, præsertim ex Regno Vegeta-  
bili aliquid depromere , quod pro the-  
mate tali inservire possit. Cumque in  
perlustrandis simplicibus vegetabilibus  
occurreret mox CARVI , hocce , ut-  
pote multiplicis usus & condimentum  
& Medicamentum, scopo meo conve-  
niens judicavi. Hujus itaque Poly-  
chresti CARVI historiam , non qui-  
dem omni parte absolutam, sed qualem  
per tenues vires colligere licebit ,  
nunc conscribere atque B. L. æquani-  
mi censuræ subjicere animus est.  
Deus conatibus faveat.



§. I.



## §. I.

**N**ter vegetabilia , quæ frequentissimo se commendant usu , tam cœconomico quam Medico , merito recentetur CARVI , quippe quod vix non quotidie usurpari consuevit . Ad aromata pertinere & odor & sapor testantur . **HIERONYMVS TRAGVS** de Stirp. Histor. Lib. I. Cap. 152. ita de Carvi scribit : Semen hoc passim in Germania usu frequentissimum , ac quovis etiam Arabico aromate sua ratione præstantius . **PLINIUS** Histor. Nat. L. 19. c. 8. non solum de eo dicit , quod Careum gentis sue nomine appellatum culinis sit principale ; sed & **GALENVS** l. II. de Alimentorum facultatibus ejus quoque mentionem facit , cum cap. 65. περὶ σαφύλην καὶ δαίκην , καὶ κάρπου loquitur .

## §. II.

Planta de qua agitur , à **DIOSCORIDE** l. 3. c. 57. κάρπος vocatur . Ab **AETIO** tetr. I. serm. I. κάρπον appellatur . **SIMON SETHI** l. de Aliuentorum facultatibus κα-  
A  
ραβαδιον

*καράδιον* eam nuncupat. Vocatur à quibusdam *κάρπιον*, *κάρπων*. Latinis, ut ex **PLINIO** patet, dicitur *Careum*; cui assentitur *FUCHSIVS* plant. *histor.* c. 151. Quibusdam audit *Carus*, aliis *Carum*, nonnullis *Caros*, forsan à Caria regione, in qua multum proveniebat & laudatissimum nascebat. Officinis & Herbariis *Carvi* nominatur. **CASPAR. HOFFMANNVS** de *Medicam.* Officinalibus l. 2. c. 51. ita differit: Credam Plinio l. 19. c. 8. a Caribus nomen habere hanc plantam, credam etiam patronymicum primum esse *καρπῶν*, unde omnia alia corrupta, *καρπον*, *καρπων*, *καρπον*, *καρпoн*. Mearum non est partium me hisce difficultatibus immiscere, sufficit simplex relatio. **C. BAVHINVS** in *Pin.* appellat *Cuminum Pratense*. Germani *Wisen*, *Kümmel*, *Matten*, *Kümmel*, *Feld-Kümmel*, quod in campis & pratis proveniat, appellant. Nuncupatur etiam *Weeg*, *Kümmel*, à viis & itineribus, ut *TRAGVS* ait, ad quæ, præsertim si graminosa fuerint, *Caros* reperitur. *Juliacensibus & Coloniensibus Fisch*, *Kümmel* & *Speiß*, *Kümmel* dicitur, quod in cibis, & præsertim in piscibus coquendis, id adhibeant; ut docet *Joh. BAVHINVS* *Histor. plant.* l. 27. c. 31. Gallice *carvi* nominatur. De nominibus, quibus ab Arabibus aliisque insignitur, confer **TABER-**  
**NEMONTANVM** *Kräuterb.* l. 1. c. II.

### §. III.

Umbelliferis annumerandum esse *Carvi* extra controversiam positum est, **SAMVEL DALE** in *Pharmacologia seu manuductione ad Materiam Medicam* p. 2. s. 9. §. 22. de herbis umbelliferis, hæc habet. *Foliis pinnatis, pinnis in multis lacinias dissectis, seminibus oblongis, striatis, radice dulci esculenta, ab aliis umbelliferis distinguitur: qui hæc ex Rajo quoad partem desumpsit; nam Rajvs in merbo-*  
do

do plantarum emendata & aucta ita loquitur. *Carum* semi-minibus oblongis, angustis, striatis foliis pinnatis, pinnis in multis laciniis dissectis, & sine pediculis annexis noscitur. A PAVLO AMMANNO in charact. plant. nat. describitur *Carum*, quod sit umbella foliis plurifariam divisum semine striato minore & breviore. HERMANNVS BOERHAVE in his tor. plantarum, hunc in modum descripsit hoc vegetabile. *Caulis* nodosus, *ramas*, quadratus, excavatus. *Semina* angusta invicem juncta, longiuscula, grisea, savoris acris & aromatici, *radix* longa, crassa, carnosa alba aliquando flava. Celeberrimus Botanicus JOSEPHVS PITTON TOVRNEFORT in Inst. R. H. CL. 7. S. 1. g. 4. sic hanc plantam describit, *Carvi* est planta genus, flore rosaceo & umbellato, plurimis scilicet petalis constante, cordiformibus, inaequalibus, in orbem positis & calyci insidentibus. *Is* autem abit in fructum, ex duobus seminibus compositum exiguis, longiusculis, binc gibbis & striatis, inde vero planis. His notis addenda sunt folia tenuiter laciniata, costae per conjugationes innascentia.

## §. IV.

Ex Botanicis J. H. BAVHINVS, totam plantam hanc his describit verbis: *Carum* ex radice singulari, longa, crassitudine pollicari & majore, rugosa, adnatis quibusdam & fibris aucta, alba, sapore aromatico & acriusculo ut pastinacæ, caules profert multos cubitum & sesquicubitum altos, striatos, geniculatos in ramos subinde divisos folia longa carinato pediculo sed angusto, partim ex radice, partim ex ramulorum alis enata staphylini foliis similia, sed per longiora intervalla alas proferentia: in ramulorum extremis umbella non ingrato odore: flores singulares albidi, aut rubescentes ex quinque foliolis cordatis non-nihilque ad fissuram crispis composti: ex quorum umbilico virenti flamina tenuissima exerunt albicania apicibus virentibus: semen

A 2

succ-

succedit oblongum, striatum, sapore acri & aromatico. **C. A.**  
**SALPINVS, FUCHSIVS, DODONAEVS,** atque **BOER-**  
**HAVE** crediderunt caules hujus vegetabilis esse qua-  
dratos; sed videntur melius depingi a **J. BAVHINO**  
qui illos canaliculatos esse asserit, quoniam ut loqui-  
tur **TOVRNEFORTIVS** dans l'histoire des plantes des en-  
virons de Paris, l'on a pas encore decouvert des plantes umbel-  
lifères, qui aient la tige quarée.

## §. V.

Duas tantum species Carvi recenset **TOVRNE-**  
**FORTIVS** l. c. nempe *Carvi Cesalp.* 291. *Cuminum pra-*  
*tense*, *Carvi officinarum C. B. Pin.* 158. *Caros J. B. 3. p. 269.*  
*Carum Dod. Pempt.* 299. & *Carvi, foliis tenuissimis Asphodeli ra-*  
*dice* 7. *R. H. Daucus pratensis Millefolii palustris folio. C. B. Pin.*  
*150.* *Daucus pratensis Dalechampii folio millefolii J. B. 3 p. 2. 9.*  
*Daucus pratensis Dalechampii Lugd.* 718. Hoc posterius au-  
tem minus est in usu, sed prius quotidie usurpatur.

## §. VI.

Carvi in Caria Asiæ regione provenisse supra iam  
monitum fuit. Hodie nis temporibus in Germania  
multum reperitur, præsertim in pinguibus ac latis  
campis herbosis & pratis quæ subinde rigantur, a Ma-  
jo mense, usque ad Augustum & flores & semen pro-  
ferens. **TRAGVS** l. c. ita differit *Caros, Helvetiis, Suevis*  
& *Mediomatricibus usitatissima planta*, in aridis pratis ac edito  
loco sitis nec non graminosis agrorum limitibus, humo fortigau-  
dens emicat, eoque felicius, quo altiores situs occuparit. Altero  
demum anno, posteaquam ex humo emergere cuperit, umbellas ge-  
rit

*rit in cacumine, candido flore, veluti Charefolum, emicantes, id-  
que Majo mense. Nam Junio semen maturescere incipit quo de-  
cidente radix folia & caules protinus pereunt, ac ex semine dein-  
ceps deciduo, planta hac, repullulat sponte sua circa horulani  
operam. In Silesia integra prata camposque montium  
convestire folet, teste SCHWENCKFELDT in Stirp. Si-  
les. catal. l. 1. Sicciora Hungariae prata hoc abundant &  
magnam copiam in quotidianum usum singulis annis  
suppeditant. Colitur etiam in hortis & agris, qua ra-  
tione semen majus excrescit & magis ad condimenta  
aptum. Evidem in nostra Alsacia quoque hinc inde  
provenit, sed ejus collectio non curatur, & ipsius  
planta cultura negligitur; cum in sufficienti quantitate  
ex Suevia ad nos quotannis devehatur & non admo-  
dum magno dividetur pretio.*

## §. VII.

Ex hac planta, quæ Usui Medico æque ac Oeconomico est destinata, semen equidem ut plurimum usurpatur, sed nihilominus & aliarum partium usus aliquis est. Sic MATTHIOLO in libr. 3. *Dioscor.* c. 57. referente Herba pro oleo comeditur. Radix autem estur cocta perinde ac Pastinaca, quocum consentit A.D.A.M. LONICERVS de nat. & vir. flirp. ita loquens: Radix cocta & apparata pastinacæ modo in cibis est utilissima. stomachum calefacit, urinam ciet. Juxta J. BRUYER. de re cibaria l. 9. c. 15. radix, pastinacæ modo manditur, est succi melioris & utilior stomacho, gustatu grata suavisque. Asparagi primum erumpentes crudi suavissime in acetariis comeduntur. Imprimis tamen in Oeconomiis usurpatur semen Cari, quod, ut cum SEBIZIO de aliment. facultat. l. 2. c. V.

A 3 loquat

loquar, condimentum est culinis nostris usitatissimum.  
 In TRAGO a SEBIZIO edito, hęc reperiuntur verba:  
 Etliche backen Kummel-Brodt, andere machen Suppen  
 damit, etliche rühren den Kummel in die Milch zu den  
 Zygern und Räsen, der Koch bedarf des Kummels in  
 der Kuchen zu Fisch und Fleisch. Der Apotheker über-  
 zeugt ihn mit Zucker: wird also dem König und Hirten  
 fürgestelllet, einem jeden, nachdem derselbig ein Lust und  
 zu bezahlen hat, ganz gebräuchlich. TRAGO me etur  
 jungi TABERNÆMONTANVS, hunc in modum ser-  
 mocinans. Es ist der Matt-Kummel fast in allen Na-  
 tionen Europä, sonderlich aber in unserem Deutschland  
 mehr gebräuchlicher, ja auch fast nützlicher in seiner Art,  
 als einige Specerey und Gewürz, so man aus Arabien  
 oder Indien zu uns bringet. Etliche backen denselbigen  
 mit dem Brodt, andere kochen den in den Suppen,  
 bei den Erbsen, Hammel-Fleisch und anderen Speisen.  
 Die Koch bedörffen dessen in der Kuchen, zu Fischen und  
 Fleisch, und ist warlich der Kummel ein edel und nütz-  
 lich condiment zu den Fischen, ihnen die übrige Feucht  
 zu attemperiren, und deren Schädlichkeit zu benehmen,  
 derwegen die Hauss-Mütter und Koch wohl daran thun,  
 daß sie die Fisch und Krebs, mit dem Matt-Kummel  
 absieden, kommen dessen nicht allein näher zu, sondern  
 ist auch viel gesünder, dann die falsche gestossene Würz,  
 die man jetzunder auch in den Reichs-Städten mit vies-  
 len Centnern und in grosser Menge machet. Carvi  
 caseis immixtum gratum conciliat saporem & odorem.  
 In nostra Alsatia optimi casei Carvi referti parantur,  
 in valle Monasteriensi in Alsatia superiore. Et quid  
 communius quam hoc semen cum sale pani apponere.  
 Cumque hic mos apud studiosos frequentissime vigeat,  
 non mirum quod nostro idiomate, tale obsonium vo-  
 cetur Studenten-Confect, Studenten-Habern. Prae-  
 terea

terea femina quoque hæc, quæ gratiora sunt quam fe-  
mina Cumini, saccharo incrusterunt, & æque ac ex  
aniso & foeniculo confectiones saccharinæ quoque ad  
delicias hominum convivales cum Carvi parari possunt.

### §. VIII.

Quod si jam ad usum, quem planta nostra in Medicina præstare potest lustrandum progredimur, illum haud exiguum esse deprehendimus. Radix enim Carvi, ventriculum roborat, coctionem promovet, iis prodest, qui tenacitate humorum laborant, humores enim pituitosos attenuat, pulmones expurgat, expelationem promovet, asthmati & tussi medetur, & in multis quoque affectibus, in quibus semen usurpatur, conducere potest. A nonnullis variis conditum modis; vel saccharo, vel melle, vel musto. Modos condiendi suppeditat TABERNÆMONTANVS. Recipiuntur radices tempore verno teneriores & juniores, antequam excaulescat planta, mundantur & in frusta discinduntur, postmodum affunditur saccharum, in aqua dissolutum, & decoquitur ad consistentiam, despumando & clarificando saccharum affunditur aliquid aquæ roseæ & post modum ad consistentiam syrapi redigitur, asservanturque radices conditæ, una cum brodio in vase lapideo aut murrhino. Cum melle ita procedunt. R. Radices concisas coque in pauca quantitate aquæ, deinde triplam quantitatem mellis, in respectu ad pondus radicis, infunde & coque ad debitam consistentiam. Vel radicibus bene depuratis superfunde sapam bene coctam, ad eminentiam unius, duorum, triumve digitorum, post tres circiter dies decantatur sapæ & a succo radicum liquidior facta, denuo recoquitur, & affunditur radicibus, ut bene cooperiantur. A mo-

do

do dicto Authore commendatur quoque conserva Carvi radicum, quam tali modo præparare jubet. Assumuntur radices, v.gr. libr. i. conscinduntur & decoquuntur in aqua ad ejus fere consumptionem, postmodum in mortario contunduntur, donec molles evadant & abeant in pulmentum, exinde per cibrum aut pannum exprimendum: adde duplam quantitatem sacchari depurati, & ad ignem in conservam redige. Usurpantur hoc modo confectæ radices jejuno præsertim ventriculo. Teste TOVRNEFORTIO *Hist. des plantes des environs de Paris*, radices quoque in ptisanis & clysmatibus adhibentur.

### §. IX.

In semine possidemus non solum jucundum condimentum, sed & polychrestum remedium. Sunt autem semina striata, parva, oblonga, tenuia, paululum incurva seu falcata, fusca, saporis acris aromatici. Debet esse recentia, succulenta, oleosa, non furfurosa aut carie erosa, a fordibus, pedunculis & aliis extraneis bene repurgata. Respuuntur quæ contrario modo se habent & nimis annosa sunt. Cl. HOFFMANNVS de medic. officinalibus l. 2. c. 51, notat esse, qui semina hæc in usum vocare nolint, nisi calida abluantur, obnescio quam veneni suspicionem. Ego aliud subesse puto, habere scilicet aliquid excrementitii, ob quod opus sit diligenti exsiccatione. Oportet autem, hoc fiat in umbra, si enim in sole ferventi, perit illi simula anima.

### §. X.

Semina Carvi sale volatili oleoso aromatico  
con-

constare, non tantum docet P A V L . H E R M A N N V S in  
*Cynos. Mat. Med.* sed & ipse gustus atque olfactus fidem  
faciunt. Hinc utique inter aromata & condimenta  
collocari merentur. Referuntur inter quatuor semina  
calida majora, quæ Carvi, Cumini, Fœniculi, Anisi.  
Ob partes hinc constitutivas sulphureo-salinas, admo-  
dum activas, virtute gaudent stomachica atque carmi-  
nativa, calorem nempe Ventriculi resuſcitant atque  
restaurant, digestionem adjuvant, & fibras nerveas  
virtute sua tonica redintegrant. E T M Ü L L E R V S in  
*Colleg. Pharmaceut.* in Schräderum hæcce tradit : *Semen*  
*Carvi*, *natura & usu omnino conspirat cum semine Fœniculi*,  
*Anisi & Cumini*; *in specie amulatur vires seminis Cumini*, *nisi*  
*quod sit fortius*, *quoniam saporem habet acrem*, & non tem-  
peratum ab oleo, *sed est acrius*: *quare quocunque acidum in-*  
*venit in primis viis, temperat & potenter corrigit*. *Inter semi-*  
*na quatuor calida majora refertur, quæ specialia carminantia*  
*sunt, hinc vi aromaticæ spiritus influos recreando egregum est*  
*stomachicum & diureticum, temperat mucilaginem acidam & vis-*  
*cidam, incidit & abstergit, adeoque in affectibus intestinorum*  
*& hypochondriorum flatulentis ex cruditate acida in primis viis,*  
*in specie in colica, convulsvis intestinorum malis, berniis &c.*  
*commendatur & usu tam interno quam externo his affectibus me-*  
*detur. Recipiuntur in pulveres pepticos, post pastum*  
*assumendos. Celebratur in primis confectio seminis*  
*Carvi de qua infra ulterius dicetur. Quid in Herniis*  
*præstet hoc semen, ut & alia Carminantia, H E L M O N-*  
*T I V S l. de flatibus §. 75. docet. Verba ejus ita se ha-*  
*bent: dixi semina calida ex commiseratione divina mortalibus*  
*enotuisse, & a bono vulgo in Scholas, usum eorundem introdu-*  
*sum, nescientes causam & circumstantias flatuum. Semina ergo*  
*illa corruptionem simul atque aciditatem materie inbibent, sunt*  
*que ideo intestinorum solamina. Solamen autem istud hoc exem-*

B

plo

plo disce. Herniosus incurius, cui intestinum excidit in scrotum, mox ad capitis magnitudinem exsurgit, induratur, ac tandem live scit. Etenim vario lactis sotu & steroris vaccini tepido fomento frustra tentatur. Videturque per foramen sextuplo minus, quam sit tuber scrota propter duritiem, reditus sui spem deponere. Dein semen anisi nempe, Carvi, foeniculi, Coriandri &c. potu in vino, mox evanescit durities tuberis, finitur que se intro repellit, quod clyster & sotus exterus non dedere, ergo per se tacens defectus ille loquitur. Quod exorbitata circa testem intestina, statim duritiem prater naturam induant flatusque sufficient. Quae cuncta per solamen intestinali Archeo mox disperant: quae alias citam & dolentem mortem causarent. Supra allegatus ETMÜLLERVS dicit, quod sapient fiat, ut ex potu nimio immoderato & nocivo oriantur tormenta stomachi gravissima, & in his nil melius semine Carvi a Dj. ad 36. in juscule calido. Conjuguntur etiam his doloribus diarybae & solum semen Carvi est sufficiens in hisce casibus. Ad imitationem SCHOLÆ SALERNITANÆ, de viribus foeniculi differentis, quis quoque de Carvi vi carminativa sequentem in modum canere posset.

*Conducit Carus quod mittat flamina Culus.*

## §. XI.

Inter remedia, quæ lactis proventum procurant; locum quoque inventit Carvi, cum oleosa sua substantia volatili serum fluxilius & colationi in mammis aptius reddit. Usurpari autem poterit, vel in substantia vel in decocto, cum juscule aut lacte, addi quoque pote-

poterunt flores Sambuci & alia. Nutricibus non solum copiosum sed & laudabile lac largitur, corrigendo acidum & coagulationem impediendo, & sic a multis malis, quæ a vitioso lactetum lactantibus, tum lactentibus, contingere possent, præservando. Materiam scilicet lattis, quæ sanguis est, ut loquitur SEBIZIVS de alimento facultatibus l. 2. c. II. sub aniso ad lattis officinas ipsas nimirum mammas promovet, semen anisi sicut & Carvi & foeniculi, & anethi, quæ aquæ calida sunt ac secca; nimirum sanguinem attenuando & vias ad mammas directas dilatando aperiendoque. Sicuti autem usu interno ad lattis generationem contribuit; ita quoque externo usu ad discutendos mammarum tumores, aliis præsertim remediis maritatum inservire poterit. Cum aceto ad lac imminuendum applicatur. Commendat nihilominus quidam ad mammas pendulas, ut foveantur semine Carvi cum decocto gallarum in fomentum redacto.

### §. XII.

Ob partes constitutivas aperit, resolvit, incidit, attenuat atque discutit, hinc multis in morbis haud exiguos edet effectus. Conducit in morbis pectoris, in tussi & asthmate præsertim pituitoso & flatuoso. Pectus expurgat & expectorationem promovet. In tussi & raucedine prodest. Eodem modo ac foeniculum in tussi & aliis pectoris affectibus commendari potest gravidis. Non ineptum erit jungere Carvi cum radice Enulæ Campanæ, radice Polypodii, foliis Rorismarini, aliisque appropriatis. In doloribus pulmonum sedandis hocce externum remedium laudat TA.  
BER.

BERNÆMONTANVS. **R.** Sem. Carvi. **Zij**. Sem. Anisi,  
 Summit. Absinth. ana **Zij**. pulversatis adde micæ panis  
 fecalini & Mellis depurati ana **Ziv**. Terebinth. **Zij**. Coqu.  
 in f. q. Vini albi boni, ad consumptionem vini f. cata-  
 plasma pectori & dorso bis vel ter in die calide appli-  
 candum. Medetur quoque doloribus pleuriticis atque  
 Asthmati. Posset quis in Astmate & pectoris angustia,  
 si a crassis & tartareis humoribus exoriuntur, sequenti  
 vel simili medicamine uti. **R.** Rad. Ireos florent. Rad.  
 Imperat. Rad. Enulæ Campanæ ana **Zj**. Sem. Carvi **Zb**.  
 Sem. fœniculi. Sem. Anis. ana **Zij**. Concis. & Contus.  
 infund. in Vin. gener. **Ibj**. stent in digestione per no-  
 ctem, mane leviter ebulliant, postmodum ex decocto  
 colato cum f. q. sacchari in aqua pectorali soluti f. l. a.  
 Syrupus ad unum aut alterum cochleare assumendum.  
 Is quoque non aberrabit a scopo, qui in asthmate tussi  
 & raudecine præsertim a tempore frigidiusculo & hu-  
 mido ortis, usurpat decoctum Carvi cum radice hele-  
 nii in Vino, addendo haustui cuilibet Mellis Virginei  
 cochlear unum. Facile autem quilibet hariolabitur de-  
 coctionem non nimis diu protrahendam esse ne parti-  
 bus volatilibus absumptis sperato frustremur effectu.  
 Ingreditur Carvi sequentem aquam ant-asthmaticam,  
 quam præscribit THOMAS WILLIS ANGLVS in  
 Pharmaceut. Ration. p. 2. f. I. c. 12. **R.** Rad. Helen. Ireos  
 florent. Angel. Imperat. **aa**. **Ziv**. Bryon. **Ibj**. fol. Mar-  
 rub. alb. Hyssop. Saturej. Puleg. Heder. terrestr. **aa**. M.  
 jv. baccar. Juniper. Heder. recent. **aa**. **Ibj**. bacc. Laur.  
**Ibb**. Sem. Carvi. fœnic. dulc. anis. Levist. Aneth. **aa**.  
**Zj**. Cubebar. **Zij**. piper. long. Caryophyll. Macis **aa**. **Zj**.  
 Incis. omnibus & contusis affunde Cerevisiæ Brunfui-  
 censis (aut alterius vel etiam Vini & aquæ) **Ibj**.  
 destillentur organis communibus, liquor totus miscea-  
 tur

tur & inter utendum edulcoretur ad placitum cum  
saccharo vel syrupo de succo hederæ , vel cum oxy-  
melite.

### §. XIII.

In affectibus quoque Renum aliarumque partium Urinariarum suo non deerit officio Semen Carvi. Dum enim partibus suis falino volatilibus oleosisque temperat acidum , urinam pellit , calculum ut quidam volunt, frangit , seu potius ejus generationem præcavet, arenulas exturbat , doloribus nephriticis medetur, & stranguriam , ab acido & flatibus oriundam competcit, obstructions Renum , Ureterum atque Vesicæ, egregie referat. TABERNAMONTANVS sequens de- prædicat medicamentum. R. Sem. Carv. ʒvj. Rad. Pimp. Sang. Hirci pp. pell. lepor. combust. ʒ. ʒ. Sem. petroel. Sem. genist. ʒ. ʒij. Sacch. albiss. ʒij. ʒvj. Mtc. f. pulvis , de quo calculo laboranti exhibeantur ʒij. in Vini generosi ʒij. & aquæ Raphani ʒj. Dolores sedat & calculum pellit. Ad stranguriam porro suadetur mane & vesperi haustus Vini in quo Carvi decoctum fuit. Sacculus Carvi pulvere repletus in Vino decoquitur , & quam calide fieri potest lumbis applicatur , ad demulcendos dolores nephriticos. Sunt qui addunt aliquid olei. In suppressione Urinæ talem facculum pubi imponunt , aut in tali casu suadent ut Vinum , in quo Carvi fuit decoctum , instilletur lateri ignito , & vapor partibus genitalibus excipiatur. Cum itaque Urinam prolixiat, in Hydrope quoque commo- dum erit Carvi, si sæpius cuspidatum cum Vino diu-

B 3

retico

retico assumatur. Nonnulli sequens depraedant remedium. & Sem. Carvi, pulv. sulphur. 3*ss.* 3*ij.* Stercor. caprilli vel ovilli  $\frac{1}{2}$ *j.* Coqu. in urina pueri pro cataplatmate abdomini imponendo , quod etiam in tympanitide conduceat.

## §. X IV.

In Hepatis porro atque lienis affectibus locum habet, hæcque viscera ab obstructionibus liberat, humorumque viscositatem corrigit ac viscerum calorem restaurat. Iteri curationem promovet. In infarctu licnis nonnulli singulis mane 3*j.* sequentis pulveris in vino & aqua exhibent. & Rad. Carvi 3*ij.* Sem. Carvi, rad. Bryon. rad. Rubiae, Gummi Ammoniaci ana 3*ii*. Msc. f. pulvis subtilis. Sunt qui etiam virtutem Aleipharmacam adscribunt, hinc juxta D<sup>o</sup>SCORIDEM t. 3. c. 57. utiliter miscetur antidotis & oxyporis. Huic sententiæ subscribit etiam REMBERTVS DODONAEVS stirpium b*is*. pempt. 2. l. 5. c. 4. Quod si certe partes constitutivas lustremus, non minori jure ac foeniculum bezoardicorum classi inferi, & in morbis continuis & exanthematicis, in decoctis pro potu ordinario, ad conservandum robur ventriculi & flatus dissipandos adhiberi poterit ; licet foeniculum hoc in casu gratius existere non diffitear. Hinc & interne si aliquid noxii & venenati assumptum fuerit, virus nocivum domare aptum , non minus quam anisum ac foeniculum , erit.

## §. XV.

## §. XV.

Cephalica gaudere hoc semen facultate non negant authores, sive malum jam per πρωτοπλάστειαν sive διεπορθήσειαν ortum traxerit, ballamicis enim suis partibus juvamen afferre capax est. Imprimis in affectibus catarrhalibus frigidis locum invenit. Sic CRATO in Consil. l. 2. Conf. 1. suadet usum Carvi. TABERNÆ MONTANVS jubet, ut facculus semine hoc refertus, calefiat supra laterem calidum, cui vinum instillatum fuit & vertici in catarro frigido applicetur. Vertigini insigniter medetur. Hinc quidam suadent, ut quis cubitum eundo Carvi pugillum masticet, postmodum deglutiat & super indormiat. CRATO l. all. ita loquitur. Mane ad crassos spiritus qui agitati ad vertiginem faciunt, parum Carvi assimat. Utatur orbiculis confeditis cum oleo Carvi, item anisi, Foeniculi, sepe Carvi odore, suffum faciat ex Syrac. & L. I. conf. 3. Masticet, inquit, sepe semen Carvi, eoque frequenter utatur in cibo. Sunt qui pro hoc scopo obtinendo utuntur semine in aceto per triduum macerato & rursus exsiccato. Virtus quoque ejus ophthalmica celebratur, de qua BOER HAVE bist. plant. asserit, quod hominibus, qui in speciem cæcitatis incidunt & oculos obscuros habent, conducat, & a nulla re magis juventur, quam a semine Carvi & foeniculi. Ex triti seminis 3j. in aqua Rosar. 3ij. macerati addito parum acet. rosac. & pauxillo Spir. Vini & postea parum inspissati, cum ana liq. mustel. pisc. Unguentum ophthalmicum insigne patratur. Et licet facile hac in virtute palmam concedam foeniculo non video tamen, quod & Carvi eadem sit omnino

omnino eripienda. Itaque eodem modo ac anisum & foeniculum, Carvi quoque usui externo atque interno proderit. Celebratur præterea in debilitate auditus, & a quibusdam in confortanda memoria. Sunt qui ilud tanquam remedium præservativum ab apoplexia venditant, si quotidie usurpetur.

### §. XVI.

Dum Uteri affectibus suppetias ferre conantur Medici, non ultimo haberi Carvi loco deprehendimus. Cum enim carminativa polleat vi, in doloribus abdominis hypochondriorum uterique, a flatulentia præ-primis exortis, multum præstat. Ad menses pellen-dos, ut alia carminativa, cæteris paribus contribuit. Sunt qui suadent, ut vapor decocti genitalibus excipiatur. TABERNÆMONTANVS sequentem deprædicat potiunculam. & Sem. Carvi, mij Herb. Artemis. m. j. Lepidii m. j. Rad. & folior. Asar. m. &. Concis. immite in lagenam, & lutato bene operculo coque in diplomate per 4. & ultra horas, postmodum decoctum cola, & mane & vesperi ægræ haustum aliquot unciarum propina. NICOLAVS ROCHEVS de morb. mulier. curand. hæc dicit. & Sem. Viticis ſi. Sem. anethi m. j. Carei, Costi ſi. terantur parum & per infundibulum fumum mulier in locellos vestibus tecta sedens-que recipiat. Nihil communius est quam Carvi ad-hibere in iusculis ad dolores parturientium nothos, quos mitigat, dum e contrario veros adauget, unde & hoc doloris augmentum inter ea refertur signa, qui-bus

bus veri a nothis discerni solent doloribus. Quod si refragaretur Medicus, certe irridebitur a mulierculis, ultra sexum imprimis sapientibus. Laudatur porro ad dolores post partum, & ad promovenda lochia. Contunditur autem Carvi & sic decoquitur ac una cum juscule hauritur. Alii jubent, ut contusum in petia ligetur & tantummodo jusculum hauriatur. Utroque modo licebit adhibere. Hoc interim obser-vato, ne diutius justo decoquatur, quoniam alias pars volatilis avolat. Cæterum feme hoc, in tumoribus partium genitalium existit proficuum, sive in sacculis atque fomentis adhibeat, sive vapor decocti in aqua vel in aqua & vino usurpetur. Illud etiam notandum, quod quam maxime prospicit in mitiganda passione hy-sterica. Nam assumatur Carvi, injiciatur carbonibus, & fumus partibus genitalibus optime excipiat; sic namque egregie motus fistet hystericos. A nonnullis ejus virtus in sterilitate arcenda & curando fluore albo laudatur. Utile hinc etiam est in Chlorosi & Cache-xia Uteri vitio oriunda.

## §. XVII.

Ob virtutem suam carminativam, discutientem & oleofis suis partibus obtundentem, virtute quoque gau-dere paregorica, nullum videtur adesse dubium. Hinc æque ac Anisum & Foeniculum palpitationi cordis sub-veniet, tormina sedabit, tremori succurret atque in Incubo proderit, dum flatus crassos & acres corrigit atque dissipat, pituitam crassam, viscidam, tenacem-ve incidit, humores ad coagulationem tendentes resol-

C

vit.

vit, viscerum obstructions removet, & partibus suis balsamicis humoribus consistentiam largitur debitam, imprimis fero vitiato suppetias ferens. Commendatur a nonnullis ad infantum a flatibus præsertim oriunda tormina, ut & ad pituitam acidam & viscidam emendandam. Inflationi quoque Hypochondriorum, imo tympanitica in dispositione, auxilio erit, cæteris videlicet paribus. Certe hoc Carvi semen æque comparet utile esse ac reliqua semina quatuor calida seu carminativa majora.

## §. XVIII.

Quod si jam ad usum externum, quem Carvi præstat, reflectamus, & illum quoque insignem esse deprehendemus. Eminet autem virtus carminativa & anticolica. SIMON PAVLI in *Quadripart.* Botan. hunc in modum differit: *Ex Parentis mei p. m. Henrici Pauli, Serenissima Regiae Daniae Sophia Archiarri, experimentis doctus sum, ipsum frequentissime colica passioni fecisse medelam, ubi panem ex furno extractum & dissectum, hinc inde excavatum Carvi semine referserit, eunque calidissimum ventri applicuerit.* Eodem modo, quasi conditum Carvi semine panem, Practici Medici alii auribus surdastrorum applicant calidissimum: alii applicato infundibulo auri, calentis panis, & recens ex furno extracti, cum vel sine semine Carvi, exhalentem vaporem excipiunt, ut tanto penitus hac arte in aurem intromitti queat. TOVRNFORTIVS Hist. de Plantes des environs de Paris hæc habet. Pour guerir la colique, on prend un pain tout chaud, au sortir du four, on le soupoudre avec cette graine pilée, on l'arroße avec de bonne eau de vie, & on l'applique sur le bas ventre.

T A B E R .

**TABERNÆMONTANVS** hocce commendat remedium.  
**R.** Herb. Carvi m : iij. fol. Rorismarini, flor. Chamomillæ, Meliloti, Pulegii, Absynthii Pontici, Origani, Rutæ ana m : ij. Sem. Carvi, Anisi, Foenicul, Anethi, ana m. j. Rad. Althææ contus. Semin. Lini, Fœnugræci, ana m. & hisce incis. & contus, repleantur sacculi duo, interpassandi, qui coquantur in vino & aqua, & postmodum expresli, calidissime abdomini applicentur ad profliganda tormina. Sacculi quoque tales sequentibus possunt repleri speciebus. **R.** Herb. Carvi, m. ij. Absynthii Pontici, florum Chamomillæ, Meliloti, Menthae crispa, Calamintha arvensis, Pulegii ana m. j. Rosarum rubrarum, Spicæ Indicæ, Schoenanthi, Semin. Dauci, Anisi, Fœniculi, Anethi ana m. &. Galang. Cyperi, ana ȝ. Caryophyll, Nuc. Moschat. Macis. ana ȝj. Msc. f. pulvis grossius. In doloribus stomachi quidam decoquunt Carvi, in oleo & vino ad consumptionem vini, & postmodum regionem ventriculi oleo inungunt. Ejusmodi fatus quoque profund in stranguria, suppressione urinæ, doloribus renum atque vesicæ, qua de re etiam supra jam dictum.

## §. XIX.

Carvi nodulo inclusum & aqua decoctum umbilico mulierum applicitum tormina hysterica solatur. Ad prolapsum vaginæ uteri vapor decocti Carvi genitalibus exceptus depradicatur. Decociti porro hujus vapor per inferiora exceptus in tenebris & hæmorrhoidibus cœcis dolentibus prodest; quem in finem quidam Carvi in vino decoquunt, & lateri ignito instillant

C 2

lant, sumumque in sella excipiunt. Sunt qui ad sca-  
biem commandant Carvi cum aceto mistum, quo par-  
tes affectae aliquoties de die debent lavari. A nonnullis  
tale fomentum cum vino aut aqua factum celebra-  
tur ad roboranda membra trementia. Tumores quo-  
que præsertim flatulentos dissipat & partibus spasmo  
flatulento vel convulsione tentatis auxilio est. Non-  
nulli decoctum laudant, ad faciem claram & nitidam  
reddendam. Seminis Carvi farina miscetur utiliter ca-  
taplasmatibus, quæ ad fugillata parantur. Laudatur  
tandem præsertim cum aceto usurpatum ad hæmorra-  
gias compescendas. Ad singultum nonnulli sequentia  
fiudent. ℞. Sem. Carvi, ℥. Ammeos, Anethi ana ʒij.  
Rad. Galang. Caryophyll. ana ʒj. Menthae siccæ ʒij.  
Mastiche ʒβ. Thuris ʒj. includantur facculo, qui ir-  
rorandus aceto rosaceo & ventriculo apponendus; quod  
eo melius erit, si simul interne hoc exhibeat reme-  
dium. ℞. Sem. Carvi, Anethi, Portulac. Papav. alb. ana  
q. s. coque in tenuiore cerevisia & da secure cyathum.  
Quod si Veterinariis consulere volimus, iis sequens  
a quibusdam commendatur remedium, ad curandos  
occulos lippientes equorum. ℞. Sem. Carvi, folior.  
Rutæ, Hederæ terrestris, redigantur in pulverem &  
cum vitello ovi fiat pasta, quæ in fornace figurina opti-  
me calcinetur, postea in pulverem redigatur; de quo  
bis in die aliquid oculis insuffletur.

## §. XX.

Deveniendum jam etiam est ad præparata ex no-  
stro semine. Meminimus jam supra Seminis Carvi  
Saccha-

Saccharo incrustati, quod non tantummodo secundis  
mensis cum bellariis aliis apponitur, sed ventriculi con-  
coctionem promovet, ructus sedat, caputque, ut cum  
SE B IZIO loquar, munit, ne a vaporibus Ventriculi  
ferriatur: Præterea prodest in confortando capite, ar-  
cendis catarrhis, præsertim sic dictis frigidis, & memo-  
ria conservanda. Pectori auxilium præstat, expecto-  
rationemque promovet, lac auget. Ventriculi affecti-  
bus atque intestinorum præsertim flatulentis medetur;  
digestionem atque coctionem ciborum adjuvat, foeto-  
rem anhelitus emendat, doloribus renum atque vesicæ  
succurrit. Hystericas solatur, parturientibus conductit,  
nec non pueris præfertim in cruciatibus a flatibus  
exortis juvamen præstat. Cum hoc quoque semine li-  
cebit parare confectionem laxativam, præsertim cum  
Scammonio, Gialappa aliisque eodem plane modo ac  
ex semine Anisi. A TABERNÆMONTANO producitur  
quoque Carites sive vinum ex Caro confectum, infun-  
dendo semen in musto & una cum eodem fermentando,  
laudaturque ad affectus pectoris, pulmones repurgan-  
dos, asthma, tussim, inflationes stomachi, intestinorum  
atque uteri, dolores colicos atque nephriticos, ad stran-  
guriam; urinam pellit & fabulum everrit, a quibus-  
dam commendatur mulieribus in mensium & lochio-  
rum difficultate. Nonnulli ad calculum, tum curan-  
dum tum præservandum, tale commendant vinum.  
Herbæ Carvi cum toto, quando semen propullu-  
lare incipit, partes duas, Saxifragiæ albæ partem unam,  
conscinde & doliolo, cum ramentis corylinis, immit-  
te & superaffunde mustum, fermentationique expone,  
qua peracta, obtinebis vinum, ad prædictum scopum  
nobile.

### §.. XXI.

Officinæ asservant aquam Carvi destillatam, quæ vel ex semine, vel ex tota planta prolicitur, destillando vel per vesicam vel per Mariæ Balneum. Sunt qui cum vino Rhenano alioque generoso destillationem instituunt, sicutque efficaciorem nanciscuntur liquorem. Celebratur in affectibus stomachi atque intestinorum flatulentis, in dolore lumborum, renum & vesicæ, in affectibus item capitis atque uteri. Hauritur mane & vesperi, ad unam aut alteram unciam. Sunt qui ex Carvi extractum quoque parare conantur, sed non multum laudatur, sicuti neque de Sale Carvi vel ex semine vel ex planta ipsa, per incinerationem parato, peculiarem sibi spondere quis poterit effectum.

### §. XXII.

Inprimis autem celebre est oleum Carvi, quod per destillationem ex semine obtinetur; cuius præparatio cum nihil discrepet a prolectione olei ex semine anisi atque foeniculi, ideoque ejus descriptione supercedeo. Est interim oleum æthereum atque aromaticum odorem & saporem Carvi referens. De virtutibus hujus olei prolixe differit CONRADVS KHVN-RATH in *Medulla destillatoria & Medica* cuius verba in latinum sermonem versa hic apponere placet. Oleum hoc ob virtutes suas, merito dicatur cerebro, utero atque partibus genitalibus. Quoniam vapores & flatus

tus resolvit, dilicutit atque expellit, speciebus epilepsiae medetur, si in aqua aut succo herbæ Carvi, præsertim summittatum, assumatur. Frigidum nimis & humidum cerebrum excalefacit atque exsiccat, colluviae ferosæ & exinde ortis defluxionibus obviam it, dolores capitatis mitigat, ab apoplexia præservat. Prodest in Vertigine atque Lethargo; affectibus oculorum atque aurium imprimis tinnitus & susurro succurrit. Coryzam mitigat. In affectibus pectoris ad pituitam & homores crassos incidens conductus & expectorationem promovet. Ventriculum calefacit atque roborat, digestionem promovet, in abdominis affectibus flatulentis, tympanitide imo ipso hydrope deprædicatur. Colicos sedat dolores. Urinam pellit, strangulat, calculos atque fabulum expurgat. Lumbricis porro infestum censetur, foetorem anhelitus corrigit. Matrici præsertim refrigeratæ atque flatibus obnoxiae opem fert. Menses atque Lochia promovet. In sanguine congrumato intus usurpatum deprehenditur proficuum. Datur ad guttulas aliquot, tres, quatuor, ad decem cum brodolis aut alio vehiculo, imprimis autem in aqua Carvi.

### §. XXIII.

Meretur quoque audiri de hoc Oleo ETMÜLZERVS hunc in modum differens. Oleum Carvi de- stillatum in iisdem affectibus & in cardialgia vel dolore stomachi conductus, a guttulis 5. ad 10. in vehiculo appropriato, vel haustu vini, de quo THONERVS in

in *Observat.*, refert, se curasse guttis V. olei destillati Carvi subito dolorem totius abdominis clamosum; item in alio severissimum ventriculi dolorem itidem hoc ipso oleo: guttis tamen 5. olei destillati succini idem præstabitur. Hic dolor ventriculi valdopere est molestus propter connexionem & sympathiam nervorum dorsi cum orificio ventriculi sinistro, es sticht sie den ganzen Rücken hinauf, usque ad scapulam. Unde hæc cardialgia, si conjuncta sit cum inflatione, vocari solet *Colica Ventriculi*, ubi oleum Carvi destillatum erit egregium, nam ingens est carminans. Si ex potu nimio immoderato & nocivo tormenta stomachi gravissima orientur, nihil melius erit oleo Carvi guttul. v. vj. usque ad X. in juscuso calido. Cum doloribus his conjuguntur etiam diarrhoeæ, & solum oleum Carvi destillatum in omnibus his calibus sufficit, usu tam externo quam interno. Urinam item promovet, eamque suavis odoris reddit. A PHILIPPO GRÜLINGIO, Medico Stolbergensi, in *Florilegio Hippocrateo-Galeno-Chymico novo* hocce ad flatus ventriculi commendatur. v. Olei Anisi, Fœniculi ana 3j. olei Carvi 30. fiat mixtura, detur in vitro parvo. Dosis est a guttis viij. ad x. in convenienti vehiculo. Poterit oleum Carvi in anatica quantitate commisceri. Contra frigidam ventriculi intemperiem sequentes rotulae ab eodem authore commendantur. v. Olei Carvi, Anisi, Fœniculi ana gtt. viij. Extract. Calam. Aromat. Galang. ana 3j. Sacchar. albi in aqua. Menth. dissoluti 3jv. f. rotulæ. Commodo quoque exinde poterit parari Elæo-Saccharum Carvi, ad 3j. sacchari recipiendo olei gtt. viij. vel x. Hoc modo vel solum poterit assumi vel cum vino aut etiam vehiculis aqueis commode misceri.

§. XXIV.

## §. XXIV.

Externum olei hujus usum quod concernit, supradictus KHVNRATH de eo haec habet. Caput repurgat & memoriam confortat, praesertim si Luna crescente, tempora & nucha eo inungantur, aut quis diligenter id olfaciat. Vertigini & doloribus capitis ab humoribus crassis & pituitosis oriundis medetur. Viscus aciem conservat. Ad aures repurgandas & furditatem præcavendam inservit, praesertim si simul pone aures usurpetur. Hæmorrhagias narium atque vulnerum compescit, si injiciatur, aut cum linteo gossypio aut turundis applicetur. Relaxationem Uvulae curat, & in Odontalgia prodest, præprimis si a defluxionibus oriatur. Ventositates in colica passione discutit, umbilico instillatum & abdomini inunctum. Stranguriam tollit. In Panaritio prodest, & in ulceribus putridis verminosisque atque venenatis auxilium præbet. Perniones solatur & membra trementia atque paralytica roborat. Audiamus etiam rursus ET MÜLLERVM haec verba proferentem. Externe conducit, quando cum majori penetrantia miscetur cum oleo nucis Moschatae expresso, quod carminativum est & stomachicum, nam olea destillata omnium fortissime penetrant, quoniam nihil aliud sunt, quam salia volatilia simplicium, concentrata ab acido figente, dum hoc Salia Volatilia arripit, seque cum illis jungit; unde ex oleo destillato in digestione cum sale fixo potest sublimari sal volatile. Sunt qui dicunt, quod clysteribus ad guttulas aliquot additum, magnam

D

vim


vim habeat carminativam. Cæterum hoc oleum va-  
riis compositionibus stomachicis & carminativis tum  
externis tum internis miscetur.

## §. XXV.

Nullum videtur dubium, quin ex hoc semine,  
sicuti ex Aniso atque foeniculo, varia alia medicami-  
num genera possint parari v. g. Oleum expressum,  
Trageæ, Spiritus &c. sed quoniam Anisum & Foenicu-  
lum gratiiora præfertim existunt ideo Carvi postponi-  
tur, quod tamen viribus quam maxime cum iisdem  
correspondet. Ita autem spiritus parari poterit. <sup>¶</sup>  
Sem. Carvi ʒvj. Spiritus Vini Gallici mens. ij. digere  
& postmodum destilla atque edulcora ʒvij. Sacchari.  
Obtinetur sic Spiritus virtute stomachica & in primis  
carminativa gaudens.

Et hæc sunt quæ de CARVI congerere hac vice  
placuit. B. L. leves Tyronis conatus æqui bonique  
consulat. Deo autem T. O. M. pro concessis vi-  
ribus sit Laus, Honor & Gloria in secula  
seculorum

F I N I S.



Strassburg, Med. Diss., 16 Millhae-  
Mastinger  
X 247 8692



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
Inches  
Centimetres

B. C. D.  
DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM  
MEDICAM  
DE  
**CARVI**  
PRÆSIDE DEO TRIVNO  
EX DECRETO  
GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ  
IN ALMA ARGENTORATENSIVM  
VNIVERSITATE  
**PRO LICENTIA**  
SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA  
LEGITIME CONSEQVENDI  
AD D. *S* SEPTEMBER ANNO CHRISTI MDCCXL.  
H. L. Q. C.  
SOLENNI AC PLACIDÆ PHILIATRORVM  
CENSVRÆ SVBJICET  
**JOHANNES LVDOVICVS**  
**MILHAV,**  
ARGENTINENSIS.

ARGENTORATI,  
Typis MELCHIORIS PAVSCHINGERI Typogr.

